


VINDICTA
AMORE MARIANO
EX ARMATA

IN THEATRO PROPOSITA,

Cum

Nobilis, ac Strenuus Dominus



GUILIELMUS
ANTONIUS

BAUMGARTNER,

J. U. Cand. Reip. Aug. Quæstorat.

Actuarius, & Rationum Revisor,

PRÆFECTUS

MAIORIS CONGREGATIONIS LATINÆ

B. V. MARIÆ

AB ANGELO SALUTATÆ,

Promulgaretur

Augustæ Vindelicorum

Calendis Maii, 1746.

Typis Josephi Antonii Labhart, Reve-
rendiss. ac Sereniss. Principis. & Episcopi
Augustani Typographi,

ARGUMENTUM.

Non facilius exarmatur Vindicta, quàm Amore Mariano. Experti id sunt in Oppido, quod ab Authore Bixier appellatum, duo Nobiles (Fernandum unum, alterum Conradinum dicimus) sanguine quidem propinquò inter se vinculo juncti, sed ob injuriam, qua unus alterum aliquando offenderat, animò diu dissidentes. Dum tandem ipso Virginis Annuntiatæ festo in Oratorium Marianæ Congregationis, quæ ab eadem Salutata Virgine titulum gerit, delati, ex pulchræ Dilectionis Matris aspectu tam teneros mutui affectûs igniculos conceperunt, ut vindictæ omnis obliti, ipsi primùm Amore in Fratres, tum & Pietate in Mariæ Filios coirent. P. Auriemma S. J. in Libro suo Italico, *Affetti Scambievoli Tra' la Vergine Santissima &c.* inscripto.

Mariani DD. Sodales! quàm turpè olim audiit, Jacob, & Esau, ejusdem Rebeccæ Filios, inrestina inter se bella gerere, tam à vera non solùm pietate, sed & ratione est alienum, Sodales, Matris ejusdem, Mariæ nimirum, Filios mutuâ discordiâ Fratres velle exuere. Quem errorem, ut vivis magis coloribûs exprimamus: Fernandum, & Conradinum (de quibus supra) Annuntiatæ Virginis Sodales, hodiernam verò lucem, qua hoc Drama exhibemus, magnæ huic Dominæ sacram fingimus.

Scena figitur in Atrio Sacelli Mariani.

SCENA I.

Dum Fernandus Festò Titulari Censum annum Beatissimæ Virgini præstare parat,

SCENA II.

Antequam illud exequitur,

SCENA III.

A Manfredò, ut priùs cum Conradino in gratiam redeat, vix non persuasus,

SCENA IV.

Nunciò primùm subobscurò,

SCENA V.

Tum satis clarò in novam luctam incidit,

SCENA VI.

Cum maximo Manfredi dolore: quem postquam Stafimo aperuit.

SCENA VII.

Etiam Conradino non sinè iusta indignatione explicat.

CHORUS I.

Jacob rediens in Patriam, intellecto Fratris irati adventu, muneribus animum ipsius emollire parat. *Gen. c. 31. & 32.*

SCENA VIII.

Conradinus à Manfredò non nihil territus,

SCENA IX.

Novos ex adventu Dorylæ ad satiandum furorem suum animos resumit,

SCENA X.

Setò nimis contra nitente Manfredò,

SCENA XI.

Quem Fernandus ipse, acceptis ab eodem saluberrimò monitis,

SCENA XII.

In magnas angustias cõiicit,

CHORUS II.

Jacob ab Esau amicè excipitur. *Genl. c. 33.*

SCENA XIII.

Dum Dorylas in spem parat Manfredum erigere,

SCENA XIV.

Illam totam denuo supprimit primò Conradini adventus,

SCENA XV.

Tum magis Stafimi à Fernando è Sacello Mariano reditus,

SCENA XVI.

Cùm res inopinatum quidem, se d lætum tamen exitum sortitur.

Modu-

Modulos Musicos composuit

Spectatissimus ac Doctissimus D. Franciscus Josephus Léchner,
Philos. Cand. Reverendiss. Perillustris, ac Ampliss. S. R. I.
Abbatis Cæsareensis Camerae Secretarius.

ACTORES.

Reverend. ac Doctiss. D. Mathias Krieger, SS. Can. Stud.
Subdiaconus, *Conradinus, Offensus.*

Ornatiss. ac Doctiss. D. Mathias Strickl, Theol. Mor. Stud.
Stasimus, Conradino à cubiculis.

Ornatiss. ac Perdoct. D. Magnus Aichinger, Metaph. Stud.
Dorylas, Fernando à cubiculis.

Prænob. ac Eruditus D. Aloysius Sebastianus Hofeman, Phys.
Stud. *Fernandus, Offendens.*

Ornatus, ac Eruditus D. Josephus Antonius Kræz, Phys.
Stud. *Manfredus, Mariana Congregationis Praefectus.*

PERSONÆ MUSICÆ.

Ornatiss. ac Doctiss. D. Josephus Antonius Waldherr, Theol.
Mor. Stud. *Jacob.*

Ornatiss. ac Perdoctus D. Jacobus Knoller, Metaph. Stud.
Eccles. Cathedral. Capellæ Mus. *Esau.*

Georgius Antonius Reich, Human. Mus. ad S. Crucem,
Nachor.

Joannes Bonaventura Wideman, Synt. Maj. Sem. S. Joseph.
Alum. *Ismaël.*

Andreas Kropf, Synt. Min Sem. S. Joseph. Alum. *Emissarius
Jacob.*

Franciscus Antonius Buechhofer, Rud. Eccles. Cathedral.
Capellæ Mus. *Elon.*

CHORUS PASTORUM.

*Omnia ad Majorem D E I
DEI-Paræq^{ue} Virginis Honorem,
& Gloriam.*

TEXTUS MUSICUS.

CHORUS I.

Jacob rediens in patriam, intellecto Fratris irati adventu, muneribus animum ipsius emollire parat. *Ex lib. Gen. c. 31. & 32.*

CHORUS PASTORUM.

1.

Juvate blandæ Sylvulæ,
Pastores, & Oviculæ
Jacob suavissimo,
Pastorum maximo.
Pæana canere,
Plausus instruere
Juvate.

2.

Viginti annos ardua
Sudavit inter pascua:
Se opibus ditavit,
Labanum mitigavit.
Redit in meritam
Nunc ovans patriam,
Juvate.

Jacob. Ah Socii! utinam non reliquissem Labani pascua!

Erit enim terra, in quam pergimus, magis aspera.

Nachor. Paradoxa loqueris, non capio:

Sit jucunda magis terra peregrina solo patrio?

Jacob. Ita est, mi Bone! Fratris furorem metuo,
Ulciscentem dextram Esau horreo.

Elon. Fratrem metuis, Matris ejusdem Filius,
Unicus Rebecca post ipsum surculus?

Jacob. Ah Chare! ah noli ulcus tangere:

Tace, ah tace nomen Rebecca amantissimæ.

)

ARI-

A R I E T T A.

Sit, ambos nos junxerit una

In gremio Matris fortuna,

Sit : simus gemini

Rebecæ Filii,

Sit.

At jam in utero

Maturô odiô

Collisi sapius

Clarè docuimus,

Quod modò fit.

Et Ecce ! quem cum muneribus

Ad Esau antè præmissimus

Anhelus redit Emissarius.

Quid boni affers caput fidelissimum ;

Num fortè placâsti Fratris animum ?

Emissar. Ignosce Domine ;

Præ timoris magnitudine

Vix possum enarrare,

Vix satis explicare

Nuntium,

Quod feram tristissimum.

Jacob. Pande, mi Bone ! Mysterium :

Sit licèt infaustum, sit terrificum,

Deus Patrum meorum pro me stabit ;

In ærumnis vires dabit.

Emissar. Firma igitur cor tuum, Jacob magnanimè !

Dum cupis, quæ vidit Servus tuus, intelligere.

Veni ad Esau Fratrem tuum, & ecce ! properat tibi in occursum cum quadringentis viris. c. 32. v. 6.

A R I A.

A R I A.

I.
UT Ceres æstate cri-
 spata
 A vento furente tur-
 bata
 Circumfert tremula
 Per auras capita;
 Sic vidi
 Mucronum cuspides,
 Hastarum segetes
 Collidi.

2.
 Ut Phæbus in vada de-
 scendens,
 Fulgore, quem spargit,
 resplendens
 Pingit argentea
 Aurato flumina
 Ardore,
 Sic scutâ timida
 Stringebant lumina
 Nitore.

3.
 Sunt Signa ab Esau irato,
 In Fratrem furore armato.
 Adventant plurima
 Cum telis agmina
 Virorum.
 Auditur maximus
 In campis strépitus
 Armorum.

Jacob. Satis, ah satis intelligo:
 Fratris antiquo odiô
 Parantur ultimæ
 Reduci insidiæ.
 Frater Fratrem jugulare,
 Esau Jacob neci dare
 Tentabit denique.
 Sic ergo, quem ego muneribus volebam
 placare,
 Meo parat sanguine suas manus cruen-
 tare?

Heu, quàm verè Mater suavissima,
 Jam ante partum tanti inter nos odii
 præmonita,
 Potuit in hos luctus ora solvere,
*Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit
 concipere? c. 25. v. 22.*

A R I A.

<p>1. O Mater! quondam lactea Cur hæc cinxisti brachia Hædorum pellibus? Cur me finxisti alterum Quærenti Patri Filium In Esau vestibus? Nunc fortè tuam san- guine, Te Duce quod ten- tavi, Nunc vitam cogar per- dere, Quam à te impetravi.</p>	<p>2. Cur parui improvidus Jurantis Esau precibus, Dum Primogenita Famelicus pro modico Pulmenti cocti pretio Volebat vendita? Cur præbui edulium, Cur famem satura- vi? Cur Fratris in me o- dium Hac escâ excitavi?</p>
--	---

3.
 Quid modò Primogenita,
 Quid lecta Bona plurima,
 Quid juvant miserum?
 Si deserenda singula,
 Si mortis cadam víctima
 Ob Fratris odium.
 Ah! Sentio jam vulnera,
 Quæ dolor cumulabit;
 Dum ipsa Fratris dextera
 Cor gladio rimabit.

*DEus Patris mei Abraham, & DEus Patris
mei Isaac! c. 32. v. 8.*

*Qui dixisti mihi, in terram tuam revertere:
Ah me de manu Fratris mei Esau erue! v. 11.*

Tuo fretus potenti brachio
Muneribus occurram Ipsius odio,
Vos, Socii! me præcedite,
Greges in Greges dividite,
Quique erit Dux agminum,
Si Fratrem Esau habuerit obvium,
Dicat meo nomine:

*Jacob munera misit Domino meo Esau, v. 18.
Sequetur ipse post nos è vestigio,
Irati Fratris satisfactorum animo.*

CHORUS II.

Jacob ab Esau amicè excipitur.

Ex lib. Gen. c. 33.

Esau. **R**atum est, fixum est:
Vindicabo injuriam,
Frangam Fratris pervicaciam:
Itane denique,
Postquam rapuit Primogenita,
Postquam præ timore fugit è patria,
Nunc auctus plurimâs
Redit ad Fratrem Sociis?
Struit ultimas
Mortis insidias,
Vult perdere me?

A R I A.

1.

Sic audax animæ,
 Jacob improvide!
 Conflasti integra
 In Fratrem agmina,
 Quis credat?
 Sic quem offenderas,
 Nunc ipse provocas,
 Et præter veniam
 Ille victoriam!
 Num cedat?

2.

Olim jaëtabas te
 Fratrem vicisse me,
 Cum Primogenita
 Summâ perfidiâ
 Prenfabas.
 At Sortis lubrica
 Se vertit alea:
 Crevit in Dominum,
 Quem tibi subditum
 Putabas.

3.

Hac cades dextera
 Cruenta victima
 Impostor pessime,
 Dolose, impie!
 Hac cades.
 Post tot injurias,
 Novas insidias,
 Non mortis spicula,
 Non sæva vulnera
 Evades.

Venerunt ergo *dies luctûs Patris mei, &
 occidam Jacob Fratrem meum. c. 27. v. 41.*

Sed quem hîc cultu pastoritio
 Adventantem video?
 Num fortè Legatum à Jacob aspicias?

Ismaël. Ita est, mi Domine!

Esau. Recede igitur perfide
 Invisi Fratris Emissarie!
 Instrumentum ipsius furoris!

Nun-

Ismaël. Nuncius illius in te amoris.
Esau. Quas mihi fruitis insidias?
Ismaël. Tui in nos furoris petimus inducias.
Jacob munera misit Domino meo Esau.
 Sequetur ipse è vestigio,
 Tuo satisfacturus desiderio,
 En jam adventant Socii!
Esau. Similes tuî Emissarii!
Elon & Nachor. Jacob munera misit Domino nostro Esau.
Nachor. Sequetur ipse è vestigio,
 Fratris sui satisfacturus desiderio.
Esau. Quæ hæc rerum scena!
Elon. Non odiô, sed amore in te plena.
Esau. Non, non : sed sunt insidiæ.
Ismaël. Absit longissimè.
 Non vult Jacob te perditum :
 Sed vetus odium
 Cupit extinctum penitus ;
 Hinc supplicem.
 Hinc humilem
 Habebis tuis prostratum pedibus.
Esau. Irâne Impii
 Luditis Emissarii?

A R I A.

1.

Ismaël. Num ergo fluent
 irritæ
 Per genas nostras lacrymæ?
 An Fratris dulcia
 Non movent nomina?
 Spes nulla fit?

2.

Num alter metet alterum
 De stirpe una surculum?
 Num inter geminos
 Rebecca Filios
 Hoc malum sit?

3. Quid

Quid Mater, ah quid diceret!
 Si præsens Fratrem cerneret,
 Dum Jacob (unicum
 Post Esau Filium)
 Occisum it.

Esau. Ad quid ergo tot agmina,
 Si Frater non intentat prælia?

Nachor. Ut illa, extincto odio,
 Tuo consecret imperio.

Esau. Res mira! fugit furor animo,
 Fratrem me iterum sentio. - -

Jacob. Frater! -

Esau. Et ecce! Cujus vocem audio!

Jacob. Frater, ah Frater amantissime!
 Liceat, ah liceat propius accedere.

Esau. Ah Frater! quem te video?

Jacob. Humilem,
 Supplicem!

En rogo veniam
 Per Matrem nostram amantissimam!
 Sumus Fratres: Sumus gemini
 Matris unius, Rebecca Filii!

Esau. Surge Frater!
 Jam me non contineo,
 In amplexum propero.
 O Jacob!

Jacob. O Esau!

D U E T T O.

I.

2.

Jacob. Ignosce Frater
optime,
In te si quid
peccavi!

Jacob. Dic Frater! dic,
quid faciam,
Ut minuat furor
rorem?

Esau. Erravi, ô suavissime,
Dum hostem te
putavi!

Esau. Ah sufficit: do veniam,
Da mutuum amorem.

Jacob. En lubens eadã
victima,
Hoc tinge te
cruore.

Jacob. O verba hæc dulcissima
Rebecca si au-
diret;

Esau. Non, non: post
longa odia
Pugnabimus amore.

Esau. Sublata cernens
odia
In lacrymas fors
iret.

Jacob. Vos jam Socii,
Pastores optimi!
Quos Domino meo Esau offero,
Pro benigno ipsius in me animo
Latum eidem accinite!

Esau. Quin Fratri meo suavissimo,
Duci vestro fidelissimo,
Plausus instruite.


Elon. Liceat utrumque venerari,
Amorem mutuum gratulari.

C H O -

CHORUS.

1.	2.
F elicès vivant gemini Ex Matre una Filii; Extincta vetera Sint procul odia; Amoris mutuū Perduret vincu- lum, Sit firma Pax.	Uterque faustis avibūs Rebeccaē creseat surcu- lus, Sint fructus teneri Amoris flosculi! Stet amicitia, Dum est abolitā Irarum Fax:

Omnia ad Majorem DEI,
DEI-PARÆQUE Virginis MARIÆ
Honorem, & Gloriam,



Univ. Bibl.
München